

2147

C O D I C E S

2148

tristauero aliquem, quemadmodum rogem &c. Nota est vasta illa Collectio *Hieronymo* perperam adscripta et jam Sec. XV. pluries barbaro *Liber Vitaspatrium* titulo typis edita, demum faniores *Heriberti Rosweydi* curas experta *Antverpiae* 1615. f. ex qua Flosculi nostri decerpti sunt. Ultimus tamen inscriptus: *Quod non est curandum de eo, quod actum est, sed quid sit agendum.* de quodam in puteum lapso ex epistola *Augustini* ad *Hieronymum* desumptus dicitur.

DLXIV.

587. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 229. 4. maximam partem nitide exaratus quondam ad saepe memoratum Sacerdotem illum *Bohemum Wenceslaum Rossam Presorovinum* alias *Chrudimensem* pertinuit. Inest ei I. *Traктatus de preparacione cordis*, qui incipit: *Preparate corda uestra domino, verba sunt Samuelis &c.* et ad calcem *Liber de doctrina cordis* adpellatur. Recensus est *Cod. DCXXXIX.* et *F. Gerardo Leodiensi* O. P. jure meritoque tributus.

II. fol. 124. p. 2. Incipit *Libellus qui intitulum testamentum electorum.* Ingressus: *Disposui testamentum electis meis. Angelus testamenti id est christus quem pater heredem uniuersorum constituit in cruce decedens testamentum eterne hereditatis, quod longe ante disposuerat, morte propria confirmauit. &c.* Juxta VIII. quas

vocant, *Beatitudines* ordinata est pia Commentatio et finit: *Superborum sublimium colla propria uirtute calcans. Valer. Andreas* et *Foppenius* in *Biblioth. Belg.* complures excitant *Codices*, in quibus hoc Opusculum *Librum de Doctrina Cordis* praefixo *Gerardi* nomine pone sequitur. Quidni et nos ei tribuamus, non obstante *Trithemii* silentio, qui non omnia *Gerardi* se vidisse fatetur.

III. fol. 156. p. 2. Incipit *libellus de tribulacione.* Ita: *Da nobis domine auxilium de tribulacione. Tibi anime tribulate et temptate proponitur uerbum hoc, ut intellecto de quo tribulaciones seruiunt sapientibus, et que seruitia ex eis extrahere possunt, nisi per te steterit, non solum pacienter sed etiam hylariter gallice abone chire eas sustineas &c.* Licet nec *Trithemius*, nec *Bibliothecarii supra cit.* nec *Quetifus* hujus Opusculi meminerint, tamen illud confidenter *Gerardo* tribuo, cum, quod in *Codice* praecedentibus cohaereat, tum maxime ratione *Stili*, et interjectionis *φρασων Gallicarum*, quas et in prioribus *Traктatibus* offendas. Agit uero hic *Autor* de XII. *Utilitatibus* seu *Seruitiis*, quae praestant *Hominibus Adversa*, et concludit: *ut tandem percipias coronam uite quam repromisit deus diligentibus se.*

IV. fol. 182. p. 2. *Traктatus* catholicus de *Substantia Panis* et *Vini* non remanentibus in *Sacramento Altaris* post consecrationem. Initium: *Visum est non esse*

2149

A S C E T I C I.

2150

se inutile, quod quidam tractatus de non remanentia &c. Ad Stanislauum de Znoyma pertinet jamin dicatus Cod. alibi.

V. fol. 208. Sermones III. de S. Stephano tributi Augustino. Primus inchoat: *Hesternam die natalem habuimus domini saluatoris &c. et legitur inter Spurios T. V. ed. Maur. append. col. 350. Alter: Jesus filius nave in heremo pugnabat. et moyses orabat &c. habetur inter dubios T. V. col. 1482. Tertius: Fratres karissimi hesternam die celebrauimus temporalem regis nostri natalem &c. non est Augustini, sed Fulgentii Rusp. prostatque edit. Venet. 1742. p. 252. f.*

VI. fol. 212. Prologus beati Bernardi super Omelia Missus est. Initium: *Scribere me aliquid et devotio iubet &c. Sequuntur Homiliae IV. prout extant ed. Maur. 1690. T. III. col. 732. Ad calcem legitur: Finite sunt Omelie Beati Bernardi super euangelio Missus est, die dominico in festo sancti donati et sancte affre, Anno d. M^o CCCC^o primo per iacobum presbiterum in domo crucis institoris in praga. Gloria tibi domine.*

VII. fol. 226. Omelia b. Jo. Crisostomi. In illud: *Cum appropinquasset ihesus Ierosolimam &c. Incipit: Puto res ipsa exigit &c. et est XXXVII. in Caput 21. Matth. in editionibus obvia, non tamen hodie Dominica I. Adv. in usu Ecclesiae, ut in calce Cod. dicitur.*

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

VIII. fol. 229. Omelia venerabilis Bede de eodem. Initium: *Mediator dei et hominum homo christus ihesus &c. Extat Opp. T. VII. Colon. 1688. pro Dominica Palmar. col. 261. sed in Cod. sine mutila.*

DLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 826 XV. Folior. 303. 8. currente calamo a diversis conscriptus haec continet: I. tacito Autore Opusculum asceticum de Corde, cuius ingressus: *Si diligenter volumus in lege domini meditari facillime perpendemus septem instructiones in scriptura sacra ad nostram informationem circa cor plane recitari &c. Adductis dein totidem Scripturae effatis promittitur VII. Capitulis agendum: De preparatione cordis. De custodia. De aperitione. De stabilitate. De eleuacione. De dacione. De scissione. Finis ult. Cap. quem in eo et per eum habebunt, ad quem nos perducere dignetur, qui vivit et regnat &c. Extant ejusmodi Tractatus inter Scripta Job. Gersonii et Job. ab Indagine Carthus. a nostro tamen diversi, qui est Gerardi Leodiens. O. P. ut Cod. praeced. dictum et manifestum ex edit. Neap. 4. quae partim annum 1605. partim 1607. praefert, quamvis in Cod. praesenti in ἐπιτομῆν contractus. Tannerus tamen in Bibl. Brit. Hibern. eum Autori tribuit, qui nunc sequitur.*

O o o

II.